

Universitätsbibliothek Wuppertal

Cassii Dionis Cocceiani Rerum Romanarum

Cassius

Lipsiae, 1849

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-4997](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-4997)

PRAEFATIO EDITORIS.

Dionem Cassium constat nondum ita esse editum ut facile legi possit a multis illis quorum interest nosse scriptorem, si non ingenio aut arte validum, at diligentissimum investigatorem antiquitatis, at rerum Romanarum auctorem, post amissos tot alios, cum primis locupletem. hunc cum ego, si qua ratione possem, adiuvere vellem et in formam redigere communi studiosorum usui aptiorem, opes criticas, praeter eas quas aut Reimari Sturziique industria collegit aut Reiskii ingenium peperit, frustra requisivi, codicem manuscriptum nactus unum, eumque mutilum neque illibatum. Vaticanus enim 1288 ut antiquitate et elegantia ceteris praestat, ita nec plus duo libros habet, septuagesimos octavum ac nonum non integros, et iam pridem a Fulvio Ursino, postea a Nicolao Falconio versatus est, longe tamen accuratius nunc mea gratia quam olim ab utroque illorum exploratus. continetur libellus foliis 12, quibus unum addidit manus recentior suppletura, quae antiquae desunt, libri 78 capita tricesima secundum et tertium. membranae tenues et multis locis male acceptae, sive evanuit atramentum nec praeter leves calami sulcos quod agnoscas quicquam reliquit, sive peredit et perforavit pergamenam, sive, dum madet, folia conglutinavit ductusque confudit.

manus bella et firma, litterae unciales, interpunctio accentusve ab initio nulli, a correctore non multi. compendia rara, nec nisi in extremis versibus: ibi enim interdum vel N alteri litterae adiungitur vel AI uno ductu effingitur. versus autem quadragenarii bini, litteris plerumque denis septenis aut octonis. laterculi paginarum singularum terni, integri bini, qui marginem attingit, a secundo folio abscisus, reliquorum dimidiatus.

tanta igitur auxiliorum meorum fuit infirmitas. qua depresso magis quam sublevato licebat, opinor, proprias vires periclitari et coniecturae indulgere. id ubi acciderit, annotatio indicat: habet enim lectionem codicum antiquatam; quae si meo cessit commento, stellam gerit, sin alieno, nuda apponitur.

Scrib. Berolini Id. Dec. a. 1848.